



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Donationibus. Consilium CCCLXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

De Donationibus.

S V M M A R I V M.

Donatio filio scholari facta.

1. Donatio patris filio suo adhuc in potestate existenti facta est nulla.
2. Donare an possit pater suo filio studiorum causa.
3. Quod nullum est ab initio ex superveniente causa non sit validum.
4. Donatio facta filiofamilias an confirmetur secuta emancipatione.
5. Donationes à iure prohibita facillime revocantur.
6. Emancipatio coram iudice competente fieri debet.
7. Donationem impedit vitium litigiosum.
8. Exceptio litispendentie quid operetur.
9. Exceptiones litis finita dupliciter opponi possunt.
10. Litispendentia quando dicatur inducitur.
11. Litigiosum vitium unde inducatur.
12. Intellectus l. Censemus C. De litigiosis.
13. Litigiosum vitium quando inducatur.
14. Intellectus Authent. De litigiosis.
15. Rerum appellatione contineri mobilia, actiones, iura & immobilia.
16. Litiscontestatio ex responsione inducitur.
17. Cessio actionis in scholarem fieri potest.
18. Actio popularis cedi non potest.
19. Magistratu qui defunctus est privati locum tenet.
20. Magistratus donare non potest.
21. Militaris lascivia est casus fortuitus.
22. Decreta ambigua obesse non debent.
23. Cessio actionum odiosa.
24. Sententia à qua appellatum est, vim non habet.

CONSILIVM CCCLXIV

VNICO processu in iudicium deduci & peragi poterant lites, quas coram Reverendo D. Conservatore, per quatuor diversos processus adversus Godefridum van Moll, Mariam Cluckers, Ioannem Tritsmans, & Laurentium Schots, instituit Leo Marix junior, ex cessione Leonis senioris patris sui: ex unica enim omnes dependent causa, & uno filo trahuntur, eandemque per omnia juris rationem habent. Proinde unico labore, eademque charta aperiemus, quid de iustitia omnium harum litium censemus; ea proferentes, quæ omnibus his litibus ex æquo accommodari possunt; non omitturi interim, si quid aliquis Reorum ad obtinendam victoriam præcipuum habeat. † Omnibus ex æquo inprimis ad plenam absolutionem Reorum hoc applicatur, quod transportus seu cessio, quam Leo pater Leoni filio Actoris fecit 21. Novembris anno 1759. & ex qua Actor omnes has actiones fundat, sit non tantum inefficax, sed prorsus nulla: ob id, quod Leo Actor eo tempore adhuc fuerit in potestate Leonis patris sui cedentis. Donatio enim (qualis est censenda hæc gratuita cessio, quæ non habet præexistente onerosam aut necessariam causam) facta à patre in filiumfamilias est ipso iure nulla, l. Cum de bonis C. De donat. l. Donationes quas parentes C. De donat. inter vir. & uxorem: ut generaliter inter patrem & filium nullus contractus subsistit, §. Item inutilis Institut. De inutil. stipulata l. Pater milit. §. 1. De castren. pecul. propter reciprocationem acquisitionis ex persona filij ad pa-

trēm: quod iure communi constitutum, §. ei vero Institut. De inutil. stipul. l. Si quis pro eo §. 1. De fideiuss. in tribunalibus etiam hoc tempore servatur, Ioan Papon in arrest. reg. Franc. lib. 11. tit. 1. de donat. arrest. 1. * Et quamvis non pauci sint, Bald. Ang. & Iaf. in l. 1. D. Solutio marit. Roman. in l. Donationes §. 2. pater De donat. Socius in reg. 240. Donatio, Fallen. 3. Carol. Rinnus consil. 102. In præsent. consultatione nu. 12. vol. 1. qui existimant filiofamilias studiorum causâ donari posse; alijs numero non paucioribus, Alex. & Ioan. Imol. in d. l. 1. & ibi Franc. Ripa nu. 140. & Guilel. Pontan. nu. 88. Bart. in l. Si forte nu. 3. De castren. pecul. Gloss. Castren. & Salicet in l. filia tuus C. Famil. eris. & ibi lac. Butrigar. in fine & Decius nu. 41. Ant. de Barrio consil. 38. Quia maior nu. 5. Arct. consil. 17. Considerato diligenter nu. 6. & quid ex affirmativa sententia aliorum, Bald. consil. 444. primo dicam vol. 3. & in d. l. Filia n. 11 & ibi Angel. n. 2. & Iaf. n. 3. existimantibus donationem esse nullam: concurrunt tamen hæc quædam, quæ hanc controversi juris disputationem avertunt. Inprimis usus hujus consistorij, in quo ex antiqua praxi & observatione, nisi in emancipatos filios factæ cessiones actionum recipi non consueverunt, & secundum illas tantum judicari. Vnde etiam est, quod in primo termino harum causarum repetita invenitur emancipatio Actoris, & Curatoris deputatio; sed cum ea repetitio verbalis tantum esset, & ex defectu emancipationis Actoris pater (quem hæc causæ in veritate respiciunt, filio Actoris pro instrumento per abulum privilegij in iudicium protruso) metueret donationis nullitatem, filium nona mensis Martij anno 1760. coram Rectore Universitatis ordinario ejusdem filij iudice emancipavit. Ceterum hæc subsequens prædictam cessionem multis mensibus hæc lite pendente emancipatio, antecedentem nullitatem cessionis minime emendavit. * Quod enim ab initio nullum est, ex super-3 veniente ut litatis causâ non convalescit, c. Non firmatur de reg. iur. lib. 6. l. Quod ab initio l. penult. D. eod. Vt nec testamentum, quod filiusfamilias inutiliter fecit, convalidatur per subsequentem ejus emancipationem, l. 1. §. 1. de leg. 1. si scilicet contraria aliqua antecedenti donationi extet significatio. * Et si enim donatio filiofamilias facta 4 per sequentem emancipationem confirmetur, l. Sive emancipatus c. De donat. l. Donationes §. pater D. eod. tit. ut & servo in manumissione expressè non ademptum peculium, donatum censetur, §. peculium autem Institut. de leg. semel tamen adempta seu revocata donatio ante emancipationem, nullâ ratione confirmari censetur. Vt nec morte patris donantis hujusmodi donatio confirmatur, quæ semel revocata est, d. l. Sive emancipatus: quamvis alioqui generaliter verum sit, filiofamilias factam à patre donationem confirmari morte patris sequuta, d. l. Donationes §. pater. Revocationem autem hic ante sequutam emancipationem intervenisse constat ex eo, quod pater Actoris alterâ die post factam cessionem, renuntiando litibus & instantijs, quas adversus eosdem hujus causæ de eadem pecunia, quæ hæc petitur, coram Scabinis Hougardiensibus instituerat, per reservativam clausulam dixerit, quod liti, non tamen causæ, & suo bono juri renuntiaret; protestando quod ab hujus-

huiusmodi suo bono iure non recederet, sed quod in illo integer manere vellet. Quæ verba aperte indicant, quod actiones cessas sibi tunc adhuc 5 reservaverit. * Huiusmodi enim prohibita, & quæ à lege infirmantur donationes, & vel per emancipationem, vel mortem confirmari solent, quocumque modo, *l. si maritus quis in fine c. De donat. inter vir & ux. l. cum hic status § si maritus D. eod. tit.* etiam per se alioquin inutili & inefficaci, argum. *l. Legatum §. pater heredes De adimen. legatis*, facillimè revocantur: ita ut sequens emancipatio retro gi, & ad inducendam confirmationem factæ cessionis operari non possit, propter medium inhabile, *Bart. in l. si is qui pro emptore De usucapion.*

Nec ad rem facit, quod in emancipationis prædictæ contineatur protestatio seu declaratio, quod pater emancipans inhereret emancipationis factæ coram Scabinis Lovaniensib. 15. Novemb. anno 1559. nam de veritate huiusmodi emancipationis nullo modo constat; ita ut nudæ enunciativæ huiusmodi assertioni credi non debeat, *Authen. Si quis in aliquo C. De eden. ** Et si de eâ constaret, nihil prodesset; emancipatio enim coram Iudice competente fieri debet, *l. ult. C. De emancipat. liber.* Sed Scabini Lovanienses eâ in parte competentes non fuissent; cum neque emancipans, neque emancipatus illorum iurisdictioni, ne quidem ratione relorus, seu primariæ appellacionis subfint. Vterque enim origine ac domicilio de alia provinciâ ac territorio est, Leodienfis scilicet; nam pater ex loco de Hougardis; & Actor ratione scholaritatis nulli alij, quam Re- 7 tori Universitatis Lovaniensis subditus.

Secundò cessionis huius nullitatem facit vitium litigiosi, quod Actori formaliter obiectum est. Est enim hoc vitium tam potens, ut si vel Actor, vel Reus, actionem aut rem litigiosam lite pendente in alium transferat aut cedat, non tantùm fit nulla ipsa cessio, *l. lite pendente, l. Censensus C. De litigios.* verumetiam puniatur tam qui cessit seu transiit, quàm qui cessionem accepit, *d. l. Censensus, Nicol. Boerius decis. 33. & ista questio nu. 2.* Quod autem litigiosæ fuerint hæ actiones ante factum transportum constat, tam ex confessione Actoris; quàm per exhibitionem instrumenti asseritæ renuntiationis; quâ renuntiatione pater Actoris, alterâ die post factum transportum in Actorem, declaravit se renuntiare liti contra hos Reos intentatæ coram Iustitia Hougardienfi. Quæ quidem renuntiatione non est facta coram Iustitia, nec in iudicio, ubi causæ pendebant; sed dicitur facta coram D. Ioanne Dauvve; idque clanculariè & extrajudicialiter. Decius quidem instrumenti renuntiationis fide, aut de Notariatu dicti D. Ioannis Dauvve non constat; neque per confessionem Reorum, neque per testes, neque per aliquod decretum in contumaciam Reorum pro confessato habitum.

8 Sed nec obstat etiam, quòd secundà Octobris 1560. decretum sit, non obitante exceptione litis pendentiæ, ad ulteriora procedendum esse: nam exceptio litis pendentiæ ante illam diem fuit obiecta; non ad merita causæ, sed tantùm ad pro. cessum ad impediendum ingressum, repellentem.

Cont. Wamef. Tom. II.

dumque Actorem à limine iudicii, *l. vbi acceptum De ind. Bart. in l. Fundi & in l. fundum De except. Bald. in l. Peremptorias in fine C. Sent. rescindi non posse Clem. 2. Vi lite pendente & c.* Cuius exceptionis reiectio nihil impedit, quo minus litigiosi vitium ad merita causæ loco peremptoriæ exceptionis obijci possit. * Ut generaliter omnes 9 exceptiones litis finitæ, aut deficientis actionis, in vim dilatorias, atque etiam in vim peremptorias, obijci ac proponi possunt, *Bart. in l. Cum quarebatur in fine D. Iudicatum solvi, Angel. in l. Vir bonus eod. tit.*

Sed nec illud obstat, quod Actor ad avertendum litispendentiæ & litigiosi vitium replicet, litem non fuisse coram Iustitia Hougardienfi contestatam: nam litispendentiam facit etiam sola citatio, *l. Clem. 2. & ibi Card. & Imol. Vi lite pendente. ** Et quamvis juris Interpretes, *Gloss. l. 2. in verb. de ducta in fine & ibi Bart. Cyn. Petrus de Bella Perica, Butrig. Odofred. Angel. Fulgos. Salic. C. De litigiosis*, communiter faciant discrimen inter realem, & personalem actionem; ut illa vitium litigiosi inducat per solam citationem; hæc litigiosa non efficiatur, nisi per litis contestationem: nova tamen Iustiniani Constitutio, in *Auth. de litigiosis in princ. col. 8. Authent. litigiosa C. De litigiosis*, generaliter constituit vitium litigiosi per solam citationem, seu libelli oblationem, aut petitionem in iure propositam, aut per preces Principi oblatas induci. Quæ nova Constitutio ad illustrationem atque interpretationem antecedentis Constitutionis ejusdem Iustiniani, in *d. l. Censensus*, edita est; & sic præcedenti per omnia accommodanda, & illa ad hanc trahenda, *l. Non est novum cum 2. l. sequen. de legib. †* Cum ergò prior Constitutio, *d. l. Censensus*, loquatur tam de actionibus, quàm rebus litigiosis non transferendis in alium; & posterior, in *d. Auth. de litigiosis in princ.* definiat, quomodo contrahatur vitium litigiosi, interpretando verba illa in præcedente constitutione, in *d. l. Censensus in princ. ut si quis lite pendente*; debet interpretatio & quæ illi subiacent, ex æquo accommodari: cum nullam distinctionem in genere actionis nova constitutio faciat; ut aliàs una determinatio, respiciens plura determinabilia, uniformiter omnia determinat, *l. Tam hoc iure De vulgari & pupil. l. Quamvis C. De impub. & alijs substituit.*

Nec pro sustinendo discrimine hujus differentie inter genera actionum realium, & personalium, faciunt rationes, quibus illi moventur; quòd scilicet olim litigiosi vitium etiam in rebus actionibus inducebatur tantùm per litis contestationem, *l. 1. §. 1. De litigiosis. l. 2. c. eod. tit.* & quòd nova Constitutio Iustiniani sit correctoria, ideoque restringenda; quòdque tantùm loquatur de rebus immobilibus, aut mobilibus & se se moventibus; quarum appellatione non videntur contineri nomina, & actiones; sed aliam speciem constituere, *Tiraquel. de retratu §. 1. Gloss. 7. nu. 9. ** Nam testis est ipse Iustinianus, 13 ambiguum apud veteres fuisse, quando res dici debuerit litigiosa; ita ut dici non possit olim nisi per litis contestationem vitium litigiosi induci potuisse, etiam si ex contingentia facti, non ex definitione juris, Vlpianus uno loco de litis contestatione proponat

L. 4.

proponat

proponat, d. l. 1. §. 1. De litigios. cum in constitutione Constantini, l. Lite pendente C. eod. tit. generalibus verbis dictum sit, De actionibus, quæ in iudicium deductæ, vel res, pro quibus Actor à Reo detentis intendit; quæ soli citationi ac conventioni seu petitioni iudiciali, etiam si lis contestata non sit, rectè accommodari possunt. * Vnde manifestum etiam est, Iustiniani novam constitutionem, in d. Aurb. de litigios. in princ. non esse correctoriam; sed declaratoriam seu interpretativam: sic ut odium correctionis non debeat extensionis occasionem angustiorē facere. Cum alioqui non per extensionem & identitatis rationem, sed per aperta verba Constitutionis idem in personali, quod in reali actione constituendum sit: tum propter confirmationem antecedentis Constitutionis, d. l. Censemur, quæ expressè de actionibus

14 & rebus loquitur; † tum quod ut rei appellatione etiam contractus, obligationes, & actiones continentur, l. Nominis l. rei appellatione De verb. significat. ita quoque appellatione rerum mobilium & immobilium: quia his omnes continentur in generali & indeterminato; præsertim à legillatore prolato sermone, l. moventium & ibi Alciatus De verb. sign. Quamvis in testatoris, aut contrahentium sermone, ex voluntatis coniecturâ plerumque tertiam speciem constituant actiones. Quo etiam factum est, ut Placentinus, Azò, in Summa C. De litigios. Hostiensis, in Summa De alien. iud. mutat. caus. & ex horum sententiâ Albericus, in Aurb. Litigiosa C. De litigios. existiment etiam in personali actione per solam citationem contrahi vitium litigiosi; quinimò & ipse Accursius, in l. 1. §. 1. D. De litigios. in V. contestata, dubitanter dixerit, idem in personali, quod reali actione servandum esse. Quæ etsi vera videantur; tamen ne ex auctoritate communis opinionis cessiones, de quibus hic controvertitur, sustineri dicantur, hoc adiicimus; lites illas, quæ adversus hos Reos coram Iusticia Hougardiensi institutæ fuerunt, latius progressas fuisse etiam ultra lites contestationem. Proposita enim petitione ex parte Leonis patris duodecimâ Iunii anno 1559. præfixoque per iudices decimo nono ejusdem mensis Iunii termino respondendi, responsum est negativè 26. die ejusdem mensis, lite ulterius usque ad 18.

16 Septembris protractâ: † lites enim contestatio non tantum ex juris dispositione, c. 1. De litis contest. verum etiam ex usu, & praxi, præsertim in secularibus iudiciis inducitur ex responsione Rei ad propositam Actoris petitionem, Iudice incipiente de causa cognoscere, l. 1. in fine C. De litis contest. Quod nullam dubitationem habet, quoad causam contra Godefridum van Moll, demonstrant enim id acta exhibita. Quoad alios idem accidisse satis arguit renuntiationis exhibitum instrumentum, necnon certificatio Scabinorum Hougardiensium, Leone patre procurante confecta: in quo instrumento conspicitur uniformis omnium litem adversus omnes hos Reos intuitio, & renuntiatio.

Ultra quæ omnia, ad cessionis hujus extremam nullitatem, propter prædictam litem pendentiam etiam solum inchoatam in consideratio-
ne habendum est, quod hic non sit simplex cessio,

litigiosi; sed aperta alienatio iudicij mutandi causâ in fraudem juris & Reorum, de actionibus semel in iudicium deductis. Idque adhuc non simpliciter, sed in potentiorē, hoc est, privilegii cessionarium; qui virtute privilegii scholaritatis suos debitores coram Domino Conservatore ex aliena iurisdictione in jus trahere potest.

† Ita ut quamvis generaliter actio in scholarem cedi possit; id simpliciter & bona fide fiat, etiam si propter cessionem iudicium mutetur l. Non solum §. 1. De alien. iudicij mutat. caus. non possit tamen fieri in fraudem, quæ presumitur, si cepto iudicio, non etiam contestato per cedentem adversus Reum in foro domicilij Rei, id fiat, ut eadem de re debitor per cessionarium inquietetur coram privilegiiario Iudice cessionarij, elegans Gloss. in l. Ex hoc editio §. 1. in verb. quod iam in fine de alien. iud. mutat. caus. Ex quâ juris consideratione refert Ioannes Papon, in arrest. Regni franc. lib. 12. tit. du vice de litig. cap. 3. quod quamvis in Regno Gallie actiones litigiosæ ex consuetudine cedi possint, ut cessionarius subintret locum cedentis in cepta lite eo loco, quo cepta est: non recipiantur tamen cessiones actionum litigiosarum, quæ sunt in scholares, aut aliter privilegatas, ad finem, ut Reus alio loco coram Iudice cessionarij in jus trahatur. Ait enim, hic adversus juris regulas, duo singularia concurrere; alienationem iudicij mutandi causâ, quæ odiosa est, & vitium litigiosi non minus odiosum, in d. cap. 3. & eod. lib. 12. tit. 1. de cession. cap. 3. Addens quod hoc respectu ad contrahendum vitium litigiosi sufficiat sola citatio. etiam si contestatio sequuta non sit: quod definitioni juris Canonici, d. Clem. 3. Vi lite pendente &c. (cui in dubio standum est) planè conformē est. Cum igitur Leo pater ante suam cessionem hos Reos alibi in jus traxerit, & hanc eandem pecuniam ab eis petierit, atque aliquot mensibus in lite perstitit, & ante peremptam instantiam, hoc est, ante renuntiationem lites, cessionem hanc fecerit in filium ex privilegio fori potentiorē; nulla est dubitatio, quin Rei omnino adversus Actorem ex malâ & inutili cessione agentem, hic obrinere debeant.

Tertiò omnibus Reisex æquo ad demonstrandam nullitatem harum cessionum, illud quoque obijciatur, quod Leoni patri hæ actiones non competierint; ideoque illas cedendo in filium non transulerit, l. si filius tuus C. De donat. Id quod demonstratur hac ratione. Proponit Actor causam actionis vel popularis, quæ toti communitati de Hougardia competijisse videtur, ob interventionem equitum; pro qua relevanda Rei contribuere debeant, secundum taxationem per Magistros, Scabinos, & juratos communitatis de Hougardia factam: tam verò certum est, quod popularis actio cedi non possit, vel ante litem contestatam, quia ante illam in bonis nostris non est, l. si cui De verb. signif. l. Qui populari D. De popular. action. vel post litem contestatam, quia obstat perfectum vitium litigiosi.

Neque jus Leonis patris hac in parte stabilitur ex eo, quod ipse tunc Magister communitatis fuerit; & ut respondendo Actor fateatur, hæc ordinario facta sit per eos, qui communitatem representabant,

sentabant: nam actio, quæ Magistratui, nomine & ex causa Magistratus, competit, non potest depositio Magistratu exerceri per eum, qui suo facto, vel contractu illam constituit: non proprio nomine, quia privata actio non est; neque nomine Reipublicæ vel communitatis, quia publicam personam amplius non sustinet, postquam officio defunctus semel fuit, *Gloss. & DD. in l. civitas Si cert. per. & in l. Prior §. in eum de administr. rer. ad civitat. pertinen.* Si ergo reipublicæ seu communitatis fuit hæc actio, ne durante quidem officio potuisset in filium Leonis transferri; sic ut sibi, & ad suum commodum huiusmodi pecuniam adjudicari petere posset (quo modo Actor in his causis sibi, non communitati, vel ad opus communitatis hanc pecuniam adjudicari petiit) *

Huiusmodi enim cessio, mera donatio, & abalienatio gratuita est, quæ Magistratui nulla ratione permittitur, *l. Praeses & ibi DD. C. De transact.* Quod autem reipublicæ seu communitatis fuerit hæc actio, ex iudicio etiam Actoris, seu potius patris ex personâ filij sui agentis, demonstrat tenor tam citationis, quam libelli, omniumque in hac causa pro parte Actoris usque ad exitum ferè causæ deductorum; quæ omnia continent hanc unicam causam, intertentionem scilicet equitum; non allegando, quod ipse Leo pater huiusmodi Equites intertenuerit, eique ob id privato nomine, & ex privata causâ subveniri debuerit per hos Reos: cum constet passim hos Equites hospitio fuisse exceptos, & quidem etiam publico; fortè uti Actoris testes de sequenti Equitum impressione per Actorem allegatâ aperte deponunt, quod in publicis diversorijs & ex arario publico sumptibus communitatis fuerint hospitati. Quod etiam factum est, quod ipse Leo pater in hac lite respondendo ex decreto D. Conservatoris non fuerit ausus persistere in allegatione propriæ intertentionis; sed addiderit hæc verba, *Ac seu alias quod ipse respondens habebat commissionem à villico, faciendo eâ in parte Reorum & aliorum omnium incolarum loci de Hougardia parem conditionem:* ut certum sit, nihil nisi rem ac negotium reipublicæ in ea re fuisse, non privatam causam ipsius Leonis patris: ita ut Leo pater ex hac intertentione suo nomine nec agere, nec Actori cedere potuerit adversus Reos pro hac intertentione nisi duobus probatis, intertentione scilicet ipsius Leonis patris, & assignatione horum Reorum per legitimum decretum Magistratus. Quod avertens Actor, causâ diu conclusâ, generalibus admodum verbis allegare cepit, quod in illa Equitum impressione pater ejus plurimum gravatus fuerit: sed super eâ allegatione per Reos minime confessata, nulli fuerunt recepti testes. Proinde errore evidenti deprehenso, post causam iterum conclusam, Actor propius pressiusque allegavit, quod per tredecim dies & noctes suis expensis tenuerit novem equites; & quod aliquando domum militibus repletam habuerit: sed hoc per Reos negatum Actor non probavit, idcirco nec relevare, nec intentionem Actoris iustificare potest, *l. In lege De contrah. empt.* Ex quatuor enim testibus, quos Actor super hac allegatione produxit, nemo est, qui deponat, patrem

Actoris tot equites, seu milites habuisse: prout etiam iidem testes non deponunt de aliquo certo tempore tot dierum, ut Actor proponit: præter primum, qui de duodecim vel tredecim diebus solus deponendo fidem non meretur, *l. Maritus de quest. l. Cursumandi C. De testib.* * De quo in proposito minus dubitandum est, ob id quod non tantum ex testibus, quos Rei prodixerunt; verum etiam ex ijs, qui pro Actore testificati sunt, evidenter constet quod dicti milites seu equites, nec per metata electis & assignatis per metatores (quos forerios ab annotatione postum estitron vocamus, *l. 1. C. De metat. & epidem. lib. 11.*) certis hospitij; nec per epidemica, hoc est redemptionis hospitalitatis certis personis molesti, graves, vel sumptuosi fuerint; sed sine discrimine discurrerint vagando per omnium domos; ita ut in eâ impressione Leo pater plus damni, quam alius passus sit (de quo tamen non constat) id a quo animo debeat ferre, & imputare laicivæ militari; quæ pro casu fortuito reputatur, *l. Ex conducto §. si vu vers. idemque discendum D. Locati*, nec à quoquam praestari debet, *l. Contractus in fine De reg. iur.* Deinde ut constet Leonem tot equites aluisse; non constat tamen, quod ei pro contributione assignati sint huius causæ Rei; quia neque id testes Actoris, neque certificatio Scabinorum Hougardienſium per Actorem exhibita continet. Et quamvis Actor ad id probandum protulerit scedulam quandam continentem horum Reorum assignationem, fidem tamen non meretur; tum quia illam Rei non agnoverunt; tum quia manu patris Actoris cedentis scripta sit; cui sibi & ad propriam utilitatem in damnum alterius adscribenti, credendum non est. *l. Exemplo C. De probat.* tum denique quod Actor non tantum non probaverit illam aut illius contenta per testes, sed etiam se non velle probare declaraverit: in quâ declaratione quamvis addat Procurator, quod de contentis huiusmodi scedulæ sufficienter constet ex literis certificatorijs Scabinorum Hougardienſium; inspectis tamen iisdem literis non invenitur, quod hi Rei Leoni assignati fuerint. † Quæ certificatoriæ literæ Domino Indici suspectæ esse debent, propter declarationem Henrici Berwouts Scabini Hougardienſis in actis factam, atque ipsius etiam Leonis patris. Inde enim constat, quod ambiciosum fuerit huiusmodi decretum contributionis; quod ob id merito obesse non debet, *l. Ambitiosa De decret. ab Ord. faciend.* præsertim quod factum sit contra & præter veterem morem ac formam in similibus servari solitam; tunc cum milites seu equites discesserant, qui omnibus incolis graves fuerant; ita ut sine causæ cognitione ac non pervestigato cuiusque damno, nemo facile gravari, nec alius alij velut in tributum seu contributionem assignari potuerit. Et sanè quàm parum probabilis sit hæc assignatio, quam Leo pater scripsit, & sibi suoque commodo attrahere laboravit, ostendit ejus immodestia & concussio in faciendo decreto prædicto; deprehenditur quoque ex eo, quod eo etiam tempore, quo milites Hougardiæ grassabantur, ab alijs subventiones & contributiones petierit atque obtinuerit idem pater Actoris (ut Baldvinnus van

nus van Moll testis per Actorem productus depōnit: cuius testimonio per omnia stare debet, quia illo utitur, l. Si quis testibus & ibi Dōl. C. De testib.)
 23 quorum tamen nomina dictæ scedulæ assignationis non sunt inserta. Ita ut hinc constet patrem Actoris ex occasione temporis & loci captivæ, ac quæsitæ compendium suum; eamque captationem per hanc cessionem in filium latius producere aperiâ sibi (ut putat) per cessionem ac transportum actionum via voracitatis; faciendo filium suum in toto privilegario prætenlarum suarum actionum, adversus miseros ac simplices rusticos exactorem, quod lex ut improbum planè detestatur, l. ult. C. Ne liceat poteri, dynus cons. 24. usus talis est, quidam cepte agere sub fin.

Proinde cum de assignatione speciali ad opus Leonis patris, de personis horum Reorum non constet: nihil immutat eorumdem Reorum causam exhibitum instrumentum Actorum, & sententia Scabinorum Hougardiensium in causa Wilhelmi de Wilde contra Ioannem Bacins; quâ dictus Ioannes Wilhelmus ad contributionem condemnatus est. Nam præter quàm quod non exemplis, sed legibus, & ex veritate iudicandum sit, l. Nemo, C. de sentent. diversa est causa dictorum Wilhelmi & Ioannis; quia in eâ constabat de assignatione Ioannis ad contributionem ac sublevationem Wilhelmo faciendam. Et præterea breve seu billetum assignationis proponitur in eâ causa fuisse Ioanni traditum eodem tempore, quo milites Hougardia erant: cum in hac causâ constet eo tempore Reis nullum billetum fuisse missum. Constat denique de approbatione Ioannis ex eo, quod assignationem approbando, & initium contributionis faciendo, miserit ad Wilhelmum tria vasa avenæ.
 24 Quamvis interim ex eâ sententiâ nihil constitui possit, ob id, quod ab ea provocatum & appellatum sit: provocatio enim extinguit, l. 1. in fine ad S. C. Turpil. aut saltem suspendit sententiam, l. Si causa C. de transact.

Parsimonia non nocent acta, & sententia inter Georgium van Moll, & Henricum Raymekers, similem condemnationem (uti videtur) continentia: nam ex libello illius causæ constat, inter eos actum fuisse de alio militum adventu, qui contigit in anno 1558. & hic agitur de alio qui contigit in anno 1559. Rursus in eo adventu, & presentibus equitibus seu militibus, facta est dicto Henrico assignatio ac traditio billeti; ejusdemque condemnatio facta est ex speciali promissione Henrici, quam delato juramento Georgius affirmavit.

Eadem ratione nec tertia sententia per Scabinos Leodieneses inter Petrum Tritsmans, & Henricum Raymekers lata præjudicat: nam ex causâ sententiæ insertâ constat, ex consensu Henrici factam fuisse huiusmodi assignationem ac taxationem, & quod nullo dimidio modio hordei, subventionis onus ceperit cognoscere. Denique fuit illa causa per Petrum Tritsmans instituta nomine communis Hougard, quam Leo pater per cessionem filio factam ad privatum compendium contorquere conatur. Atque ita eam separatorum, & quæ in ipsdem facti terminis non communicant, non eadem, sed separata ac diversa sit ratio, Pa-

pinianus exuli De minorib. fit, ut exemplum proferenda sententiæ in hac causâ ex prædictis tribus sententijs, delatui non possit.

Cum ergo hæc causa vitio litigiosi laboret, & sit ex mala atque inutili cessione ejus actionis, quæ cedenti nomine proprio non competit, quæ cedendo in alium transferre non potuit, cuius etiam causa per Actorem probata non est; & quæ alioqui ex vitio litigiosi cessibilis, seu transferibilis non erat: exitimamus officium Reverendi D. Iudicis esse, ut Reos ab imperitione Actoris absolvat; Actorem in omnibus expensis condemnato.

De Donationibus.

SVM MARIVM.

Donatio facta cum reservatione potestatis de re donata disponendi.

1. 3 12. Donatio an fieri possit, ut donatori liceat de re donata disponere.
2. 10 Intellectus l. Cum quis decedens §. pater De legat. 3.
4. Testamentum effectum ex morte testatoris consequitur.
5. Legata in causam caduci veniunt legatario ante testatorem moriente.
6. Dispositum non censetur quod dispositum non datur.
7. Legata caduca vel adempta apud quem manent.
8. Intellectus l. 1. §. pro secundo c. De caduc. tol.
9. Legatum rei aliena quando in prejudicium domini valeat.
11. Legati translatio inutilis, ademptionis effectum habet.
13. Testati causa quomodo ad se trahat intestatam.
14. Possessor bone fidei fructus restituere non tenetur.

CONSILIVM CCCLXV.

Iunge cons. 153. supra in fine

GUILIELMVS vanden Broecke 5. Mensis Septemb. Anno 1573. coram Scabinis oppidi Lovaniensis titulo & ex causa donationis inter vivos celsis, transitibus, & transportavit, M. Ioanni Bacchusio præfenti & acceptanti, octo diversos parvos specificatos fundos, eaque cessione in iure factâ, ac dicto Guilielmo ex dictis fundis expolito, est in illis per legis operas positus, bonificatus & inhaberdatus idem M. Ioannes Bacchusius, reservato tamen expresse dicto Guilielmo in ipsdem fundis vitâ suâ durante usufructu & præceptione, reservatâ etiam sibi suâ liberâ dispositione dictorum bonorum, dictis transportu & donatione non obstantibus. Post hanc donationem, cessionem, & legalem inhaerdationem præfatus Guilielmus unum ex dictis fundis ex causa permutationis alienavit: deinde 23. Augusti 1574. coram Notario suum testamentum fecit; in quo volens ut facultate & potestate dispositionis de illis fundis sibi reservatâ in contractibus coram Scabinis Lovaniensibus passatis (non expressis illorum annis, mensibus aut diebus; sed relicto pro illis ponendis vacuo) factâ illorum fundorum specificatione, legavit eosdem fundos Mariæ Frederici vanden Broecke fratris suæ filiæ, dicto Frederico reservato illorum usufructu, sub onere duorum florenorum annuorum pro celebratione anniversarij. Post